Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35165
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar

Candidus armenti gracia thaurus erat
Signus tenui media inter cornua nigro
Una fuit labes cetera lactis erant
Illum gnosiades et cydonee iuvente
Optavit tergo sustinuisse suo
Phasiphe fieri gaudebat adultera thauri
Invida formosas oderat illa boves
Nota cano nec hoc centum que sustinet urbes
Quamvis sit mendax creta negare potest
Ipsa novas frondes et prata tenerrima thauro
Fertur inassueta subsecuisse manu
It comes armenti nec ituram cura moratur
Coniugis et minos a bove victus erat
Quid tibi phasiphe preciosas sumere vestes
Ille tuus nullas sentit adulter opes
Quid est tibi cum speculo montana armenta petenti